

231

229

235

225

foedum est sustinere apud eos, et omnis jocus obliscuntur,  
et irascuntur. Hujus facti ego F. F. F. accepi experientiam.

240

Decimus octavus: diligenter custodiat peregrinus res suas,  
et nullibi, ubi Sarraceni sunt, jacere permittat, alias statim  
evanescunt, sint quaecunque res.

220

Decimus nonus: si peregrinus habet flasconem vini, et  
placet sibi bibere, si Sarraceni assunt, occultet flasconem, et  
occulte bibat; roget socium, ut ante eum se ponat, vel se  
pallio operiat, ut occulte bibat. Quia ex quo ipsis potus  
vini est interdictus, quando vident nos bibere, invident nobis,  
et si possunt, molestant bibentem.

280

Vicesimus articulus: non faciat peregrinus commercia  
cum Sarraceno, nisi cum tali providentia, quod sciat se non  
falli. Conantur enim nos fallere et arbitrantur, se Deo obse-  
quium praestare, dum aliquem possunt fallere et decipere.  
Et ante omnia sit peregrinus providus et custodiat se a Judacis  
theutonicis; quia toto nisu ad hoc tendunt, ut nos fallant, et  
pecuniis spolient. Sic etiam custodiat se a Christianis ori-  
entalibus in commerciis, quia nullam habent conscientiam, minus  
quam Judaei et Sarraceni, et si possunt, decipiunt peregrinos.

180

Vicesimus primus: peregrini facientes contractus cum  
Sarracenis non litigent cum eis, nec jurent, nec irascantur.  
Sciunt enim, haec esse contraria christianaee religioni, et  
quando talia vident, statim dicunt: O male Christiane. Nam  
hoc Italicum vel Latinum omnes sciunt; et ad omnem motum  
vitiosum peregrini objiciunt nomen Christiani, ac si dicerent illud  
Augustini de doctrina christiana. Tu, inquit, quomodo Christianus  
diceris, in quo Christiani actus non sunt: Christianus justitiae  
**(§4 A)** bonitatis, integritatis, patientiae, castitatis, prudentiae,  
humilitatis, humanitatis, innocentiae et pietatis nomen est.  
Debet ergo peregrinus sic se gerere, ut non blasphemetur  
nomen tam nobile in ipso etc.

Ende

Vicesimus secundus: caveat peregrinus, ne Muscheas, id  
est, Sarracenorum tempa et oratoria ingrediatur, quia si  
reperiatur, imperturbatus nequaquam exiret, etiam si cum  
vita evadere posset: de hoc plenius fol. 261. et consequenter.

Vicesimus tertius: caveat summopere peregrinus, ne  
Saraceenos orantes et gestus sui cultus exercentes irrideat,

Anfang

